Barwinkiewicz Stephani: Pacis oliva speciosa in campis D. Ioannes Cantius.

PACIS OLIVA SPECIOSA JN CAMPIS D. IOANNES CANTIUS

CONFESSOR

INCLYTUS REGNI POLONIÆ

PATRONUS

ad annuum FESTIVITATIS suæ recursum

paregyrico pro rostris cultu

in Collegiata B. M. Virginis Ecclesia
Posnaniensi Magnæ Nobilissimorum
Virorum Coronæ

A M. STEPHANO BARWINKIEWICZ Philosophiæ
Doctore Actuali eiusdem in Academia Posnaniensi
Professore & Contubernij Szoldrsciani Seniore

DEMONSTRATUS

Anno

DUM resonans sUaVIs nobIs CœLI IntonUIt paX.

POSNANIÆ,

Typis Adm: R̄ndi D. ALBERTI LAKTANSKI.



Scutifer Ales agas: in Te non fulmina possunt,
Non Oleagineus Nidus pauet iste secures.
Militat en Æther pro Te sic Cantius in Te.
Militat en tellus pro Te sic Ascia sub Te.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. STEPHANO RADOSZEWSKI

Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Canonico

&c: BOLEMOVIENSI PRÆPOSITO

S. R. M. Secretario

Domino Patrono & Fautori Academico

S. ET P.

FAtale arboribus fuerat, quoties ad radicem securis hærebat: hodie Salutare ubi Gentilitia Tua ASCIA in medio Oliuæ nitescit. PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME Domine Ceco grassantis impetu securis est, cuncta obuia æquali rabioso corrodere ictu, non ASCIÆ, illa generosa quæq; ac infima, æquè nobiles quàm informes arbores ferit, scindit, prosternitq; hæc non vili mancipata manu selectioribus dicata Dædalis, non suam siluestribus truncis acutam hebetat aciem, nisi Magnis cristatisq; armisonæ aciei hostium ceruicibus. hæc Dodonæas tantùm quercus in Magni Numinis Sacraria dolare scabrosas, ut nitescant politiores: illa horrida etiam succindere Virgulta, ut insultent infimis, natæ sunt. Vmbrifera cadunt Fauni nemora excandescente Cyri succisa securi, dum & ipsæ Pierides profunda incolentes Heliconis & nemora rupium, & rupes Nemorum toties exulare aguntur, quoties Bœotiæ ignipotens Mulciber auaras cudit secures. Vtinam verò Mauortiæ Bellatrices etiam hodie securigera inhabitassent Amazones castra, nunquam tam horrida Sarmatiæ Scytharum adoleuissent Nemora. Vidêre Rhæti bella sub Alpibus Drusum gerentem, & Vindelici: quibus utrisq; tamen una in securibus salus, obuias sibi succidentes arbores, idem atram sibi in funestam portam hisce succidêre Cupressum Parce pias scelerare manus! quid miserum Ænea laceras? siue viridem conuellere aggrederis siluam, siue densa hastilia horridæ myrti immani proscindere ferro, utrobiq; fuge crudeles terras, fuge littus auarum, nec ipsis etiam manibus auara parcit manibus securis. Ita nunquam securis quispiam sub arboribus etiam paciferis vixit horis, ubicunq; securis grassata, cui ad hostile classicum opacam tantùm Siluarum succidite arborem succidere, perquam est infamis fama. Gloriosior Gentilitia Tua in Campo Lechiæ Lecho coæua resplen-

duit

duit ASCIA PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME Domine niſi heroicis dicata conatibus non infimis: Martiales niſi petens vires non Spiritus inquietans ſilueſtres; Polonæ Aquilæ triumphales victoriæ in Nidum ſuccidens ramos, dum ipſos adoritur hoſtes, ipsa non depaſcitur ſiluana decora; ſic vbi à ſecuri etiam ſub Palma non ſecuri Ciues, ab ASCIA vbiq; tuti viuant; ab ASCIA Lechiæ Aliti Salus, Aſciatis ipſis naſcitur gloria. Nunquam commixta ſecuri ASCIA feralem vnquam Taxum Polonis vel fatalem Caprificum. Aquilæ noſtræ præſcidit, quæ ſemper victoriales in coronas Magnis inter tentoria Gradiui Ducibus Palmas, Laurus, Oliuaſq; tulit. Hæc Magnorum miniſtra Heroum, nunquam non Auguſta geſſit: toties ſtrictos inſultantium Patriæ hoſtium hebetauit gladios, vt acueret ſeſe, quotios rabidi ij arbores Nidi Aquilæ Sarmaticæ terebrare tentârunt. Toties ardentes Lunas Othomanicas eclipſauit, vt inextinguibilis gloriæ ſibi inde excuteret ignem: ſic in æternum clariſſimè nitorem diffuſura, quoties expallentes luces, noſtræ obiecerunt Aliti. Theatrales profligatorum hoſtium erigere arcus non ſecuris, hæc ſola quæ vicit benè didicit ASCIA, in quibus notandæ ei non hiſtoriale ſufficit atramentum, quod atrum; niſi è ceruicibus barbaris ipſa ſibi ASCIATA Virtus heroicum qui loqueretur educeret ſpiritum, rubentem qui perennaret, effunderet in folia ſanguinem. ita aliorum magni auſus funeſto atramentali notantur calculo, ASCIÆ geſta niſi hoſtili ſcribuntur rubricâ; aliorum virtutes bipenni ſucciſos petunt in atramentaria truncos, ASCIA petit corpora cadentium in atramentaria, Sanguinem in atramentum. Sonat ſecuribus ilex, cui loquax tamen dum reſpondet Echo, vtraq; muta breui, longo ſepeliuntur ſilentio: ASCIA quoties ad Nidum Lechicæ Alitis intonuit, ſemper in æternitatis Viuacem ſonum ita reſonuit, vt nullo aduerſantis vel manûs vel temporum conatu obruta, iam ſexcentis in acie Martis, in Senatûs Capitolio, in Diuorum æde glorioſa non minùs ſalutaris reſonet annis. Degenerauit Bipennis hæc ASCIA non iam in Iouis ad tentoria Gradiui, etiam in Dictatorum ASCIAS ad Polonum Areopagum vbiq; ſalutaris; quidquid in votis feruentiſſimorum Ciuium ſiue Capitolinum Senaculum, ſiue Pantheon Tribunalitium vnquam audiuit, totum ASCIA de docto ex iſum capite, & ſi alibi non ſemper Mercurius aureas ferat ſecures in Domo RADOSZEWIANA ſemper aureas ASCIAS, aurei ſiquidem, quia ſalutaris pro Patria conſilij. Iam vel ipſo illo etiam ſæculo RADOSZEVIANAS ASCIAS pro honore Throni Dei, & auguſta Eccleſiæ Chriſti integritate orſuras Diuus prophetauit Vates, quo quatuor fabros vt deijcerent cornua gentium, quæ leuauerant ſuper terram ei Zachariæ oſtenderat Dominus. Salomonicam inde celebrare Ædē & licet & decet quòd citra ullū malleorū ſtrepitum, ſecuriū ſonitum, inclijta eius proceſſit in altum Maieſtas. Polonas Chriſti Ædes inde celebrare glorioſum, quòd vbicunq; ASCIA hæc propè Immaculati holocauſtum Agni in oſtijs & tabernaculo earum appenditur, nullas Hæreticorum verſutias, nulla cornua gentium in totis valere partibus perquam eſt Illuſtré. Primas Naſcentis Regni Noſtri in eradicatione Douonæarum arborum, extirpatione delubrorum Sathanæ, non loquor curas, hæc ſiquidem (loquente calamo Hiſtoriæ) ASCIATORVM Principum & Heroum virtute proceſſerunt. Vnum ſufficiet, dum ASCIATVM STEPHANVM (quidquid ſit ſi Pobog in armis tuliſſe narrent alij) VIII Metropolitanæ Gneſnenſis Eccleſiæ ARCHIEPISCOPVM vel ideò hîc è cineribus Sarcophagi in literalem ſuſcitauero thronum, quòd Gentilitiâ ille ASCIA ſuâ cunctas idolorum reliquias Beatus Diui ALBERTI Prædeceſſoris

sui

sui successor in Polonia feliciter succidit, vt Tibi hodie PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME Domine STEPHANVS STEPHANO ille Octauus TIBI beatitudinis necteret STEPHANOMA, sic orbi inclareret Polono Gentilitiam vtriusq; Vestrûm ASCIAM in Martis Campo dudum salutarè valere, quæ sat gloriosé in Senatûs Ordine, in Ecclesiæ Horto, inde in dies hos nitescit. Celant sua cuiq; ingloriam arma: Medis Acinaces, Thracis Romphæa, Gallis Gessa, Macedonibus sarissa, Romanis sica, inclyto Poloniarum Polorumq; Regno, hoc sat erit in decus, quòd insigne eius ASCIA vbiq; veneratur gloriose. Divos inquietare desino Senatores RADOSZEVIANÆ huius Domûs, quibus sua virtus perenne extruxit Mausolæum, sic ne in Vmbris tumulorum opacis cinis tantummodo de tam Magnis restaret Achillibus: Veneror Archipræsules, Præsules Reuerendissimos, Veneror Illustrissimos Regni huius Officiales qui meruerunt in altum euehi quia Asciati, sic Nidum Aquilæ Sarmaticæ defendentes. Totum hoc quidquid fundit liberale Cælum, fundit ASCIÆ, totum quidquid in laudem Magnorum fertur ASCIATORVM Heroum, Tuam in laudem fertur PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME Domine ASCIATE STEPHANE. Suum Te Aquila Lechi defensorem vel à primis expectauit annis, nunc Archipræsulem habet Ecclesia. Ea processisti de Domo, quæ ASCIATA hostes Patriæ, hostes Fidei scit persequi, quid persequi? Vincere. Primos Magnæ tunc Indolis Tuæ dies ea suscepit Domus, quæ nisi Regia D. Iagellonis huc usq; spirat erectionem, Inclyta Cracouiensis Schola Regni; sic inde insigni ASCIÆ Tuæ eruditionis sapientiæq; sumeres aciem, vbi simul cum arte Palladis Generosi Poloni animi Marte vt bellent, exacuuntur. Nitorem Armis Tuis Gentilitijs à Philosophica mutuatus es Pharo: Aciem in incude Iuridica eam distendisti, quâ implicatos turgidæ amicitiæ præscinderes nodos. Constantiam reprimendi maleuolorum Fidei Orthodoxæ argumenta à Theologica eam hausisti Cathedra, quam in Te mirari, in Te & venerari solus nescit, qui Censorinus. Expediit tandem augustam profundæ eruditionis ASCIATAM Virtutem Tuam de Iagellonico transferri Viridario, in conclusum Æterni VERBI Hortum. Ergo nitidissimus zelo igneæ charitatis flagrans Aaron admoueris tremendo Immaculati Agni Altari, vnde amplius pertinuit ad Maiestatem ASCIÆ Nobilissimæ in Altissimum euehi, quia Metropolitanæ Gnesnensis Ecclesiæ Capitulum. Non iam hic feræ rubigo auara annositatis Gentilitium hoc Decus ASCIÆ corrodet, vbi merita amplissima illud in dies expolient successuros. Non iam ASCIAM otiari continget, vbi illa pro Serenissima Regum Maiestate, pro Illustrissima Archipræsulum Auctoritate, pro Amplissima Peraugusti Capituli integritate aget satis superq;, semperq; Vigilias, ipsum vel conticinium Argum, vel vigilem Draconem excessura. Quoties Conuentus Regni Augustissimum exposcent Gnesnense CAPITVLVM, resonabit in suauifluo stylo ASCIA pro illo vt sic honor perennet eius. Quoties summum Regni Tribunal iustos expetet Consos, semper de latere Magni Capituli æquissima prodibit ASCIA, vt in leniendis exulceratorum animis hinc laus maneat eius. Quoties arduum tandem quidpiam in summo cardine Nouum exiget Asterem, tunc Gnesnensis ASCIÆ RADOSZEVIANÆ CAPITVLI in corona nentum cedet, vt ex omni parte honos illinc, laudes aliunde, hinc nomen perennet eius. Ascendat iam in altum Augusta Domûs RADOSZEVIANÆ ASCIA, vel in ipso Te PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME STEPHANE, ipsosq; sibi eximiæ dignitatis exstruat Thronos, vt ei & Abbatialia Peda, & Episcopales Infulæ, & Archipræsulea

Pallia, quæ debentur, dentur. Atq; sit laudis id ASCIATÆ Virtuti quod vbiq; Magni Consilij pro Deo Patriaq;, pro Rege gregeq; sit ASCIA: alijs sub lauro securis à securibus non tutum, mihi sub Oliua ab ASCIA Gentilitia sit tutamen. Sperat Tui patrocinium Mystica in Corona Amplissimi Auditorij à me adorata Oliua, D. Doctor Theologus IOANNES CANTIVS. Tuum non cui quàm Tibi Patronum Patrono vi it pietas consecrandum, vrsit deuotio offerendum: esset id vel apud ipsos etiam Sanctorum gloriæ inuidos satyricos siue paradoxum, siue adulatio, si quod, Cælo teste, cuius & Ipse testis es beneficij, ego in paginæ diffunderem stylum. non literæ meæ quod os Tuum in D. Veneratur Doctore, hodie induunt pro Te Oratorem, cùm id vel insigne Magnæ in Magnum Gratiosum Cantium gratiæ mentis Memnosynon inclarescet, si Vmbras laudis eius in Vmbra Pacis Oleæ speciosæ in Campis Tuo honori ab vmbratili dicatas ore Amplissimo complecteris Patrocinio.

Ita poscit & precatur

Tuæ PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ
Dominationis

infimus Cliens

M. STEPHANVS BARWINKIEVICZ,
Phiæ Doctor & in Acad: Posnan:
Professor.

ORATIO

EO vsq; benigno aſpectu propitium cælum Sarmatico illuxit Polo, vt tandem ferociores prodirent dies: AA. hucusq; clariſſima mundi ſidera iucundè labens cœlo duxêre tempus, ut mæſtam Polonorum rebus inducerent metamorphoſim: hactenus meliùs ibant dies, & ſoles nitebant clariùs, vt tandem inimicus naturæ October, fatalis fieret Sarmatis menſis. Vix primò æſtas protriuit ver, ipſa alma Ceres rubentia maturis ſpicis redimiuit tempora, protinus auida totum Saturni deuorauit falx:

Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longiq́ perit labor irritus anni.

Vix in triumphi maieſtatem bifronti IANO excreſcebant laurus, pullulabant oliuæ, en cæco impetu, rabiosâq; audaciâ, cuncta arborum decora, efferatus Mars, ſi non ſuccidit, certè peſſumdedit, certè Violauit: ita ,vt ille inuidiâ, hic impetu, vterq; malignitate Aquilam Sarmaticam, nec terræ pabulum, nec arborum nidum ei concedentes proſtenerent, enecarent Memorantur Attali referta horrea, Gargara prouentu læta triticeo,Sicilia orbis horreum appellatur, Calabria Lariſſa feraces frumenti commendantur; faxint Superi Polonia noſtra hodie degeneret in Africam, certet cum Calabria fertilitate, fiat Siciliæ Lariſſæq; par, cui excollendæ ac ditandæ impenſiùs Boni Cœlites indulgeant. Septemtrionalis quippe eò magis infelix axis, quò delicatiori ſpoliatus vel titulo vel bono ſæuioribus immitis cœli exponitur tempeſtatibus, quò magis ſub triſti cœlo malignè premitur,& intoleranda infelicis ſoli vitia tolerare, ſuſtentare cogitur, dum canus Saturnus cunctæ terræ depaſcitur ac metit decora, & vbiq;, delicata quondam Flora, quæ iocoſos egit ludos, nunc parentales Præficarum more occinit leſſos: dum ſævus Octobris Præſes Mars nec formoſæ parcit Chloridi, & in venuſtam Floram tantâ debacchatur malitiâ, eiusque ſimul ornamentis eam minatur pernitiem, quæ niſi grato vere reparari poteſt: dum quondam latepatentis campi ſuaueolentes rami, læti ac dulces floſculi in funeſtas cupreſſos degenerârunt: dum rigidus in noſtro climate graſſatur Deus, inculta omnia & Vacua vel fructibus vel frugibus conſpiciuntur. Aſt apage hinc vox luctûs vox triſtitiæ, non ſic non in fertilibus Eccleſiæ Dei aruis graſſatur & funeſta Saturni falx,& fatalisGradiui mucro: etiam hodie dum ferox in genus humanũ October ſimul ferax, alibi premitur terra incurſione maleuolentium, campi Eccleſiæ fertiles, nullis furentis Boreæ aut efferati Aquilonis flatibus ſunt expoſiti, vt ad torporem obrigeſcant, quia illos ſuaues Etheſiæ perflant: vbiq; ſemperq; virentia æternitatis decora in militantis Eccleſiæ viridarys prodentes, quia & in triumphantis Eccelſiæ circuitu producentes. Faceſſant Heſperiæ luxuriantis naturæ opes, dum Eccleſiæ campus vernat floralibus ſuis, dum

cunctas hortorum delicias vincit, & feracis autumni floriam superat: hîc vitis frondosa Israël & fructus adæquatus est ei: hîc aureis poma punica abundant fructibus, ficus dat grossos suos, inter botros Cypri felicis Vindemiæ leguntur racemi: hîc Terebinthus extendit ramos suos, & rami eius honoris & gratiæ: Palma fructificat suauitatem odoris, & flores eius fructus honoris & honestatis: Oliua speciosa in campis in campis Ecclesiæ. Procul hinc in Octobri infructiferæ arbores, quia securis ad radicem illarum posita est; procul ficus arida, quia in horto Ecclesiæ homines quasi arbores arbores quasi homines ambulantes; non hic inter

--opimas fruges interq; Virentia culta

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.

Ergo Sacer, hactenus impius October coronetur, vber mensis in Ecclesiæ campo sacratos in decus horti sponsæ ferens arboris fructus; meditemini AA. eius suaues ac sapidissimos fructus, ego in viridario Gethsemanico excrescente hodie Pacis signo Cruce Sanctissimá, quia die sacrato Passionis Dominicæ novum Octobris producam in Ecclesia Dei fructum: dum ad Crucis Paciferæ Prototypon, Oleam Paciferam D. IOANNEM Cantium Venerabor: siquidem & morientis Dei Thronus Crux sacratissima de Olea componi meruit:

In Cruce stat Cedrus, Cypressus, Palma & Oliua.

Sonet vtinam felix fauore Tuo vox mea in auribus Doctissimis Tui Deuotissimi Auditorij Magne Magni Dei Ecclesiasta D. Parenns quia Cantius es: vtq; celebriori sermonis cothurno maiestatem Vitæ Tuæ coronem, utinam ea detur á Te Doctore votis Tui Discipuli gratia quæ Te Ioannem foret par à Cathedra hac personare. Meum est in vmbra Patrocinij Tui sub vmbraq; Tua demisso cordis affectu cā ardenti quærere prece benedictionem, quam pacificus Mistes Paciferaq, Oliua in vota eiulantium effundis. Effundas in aridum spiritûs mei conatum eam de pinguedine Tua vbertatem, quæ Nomen Tuum Oleum effusum in voce mea, Te Oliuam in corde Pijssimi Auditorij germinet Paciferam, Tu interim surge Aquilo aduersæ mentis quisquis agis an agere Momum in D. Doctorem ardes, & veni Auster inclytæ Humanitatis Beneuolentissimi Auditoris, persla hortum hunc Campumq. speciosum Oliuæ & fluent aromata illius.

Augustam D. Doctoris Maiestatem, in angustum dum colligo Oleæ symbolum, immensas virtutum eius centurias, dum vnâ voce prædicare assurgo, Angelum in carne, Magnum inter natos mulierum, Phœnicem inter Doctores dum in arboris typo linguâ hæsitanti veneror; apage hinc rabiose Æschines, vltraq; remotam Thulen furijs agitate abscede Zoile, nec me quidquam nouum effinxisse arbitremini Vos AA: Pridem etenim rerū mater natura, cancellos virtutis cuiusq; vbi consigillauerat, intra orbitā consistere suam vniuersa decreuit; eousq; donec vel Virtus naturæ magistra, vel peccatum illius nouerca leges non fregerit, vt sic plerumq; mortale humanum genus in saxa, in astra, in bruta, quidni & in arbores, nouâ metamorphosi transiret. Deucalionis & Pijrrhæ partu sine partu, saxa in homines genita commentum ne estò; dum Christum Lapidem angularem, Simonem Bar-- IONAM, Petram an Petrum Ecclesiæ piè accipio. Par Fratrum Castorem & Pollucem bina Firmamenti sidera, quæ docta prodidit Antiquitas, eadem Chironi & Herculi inter radiantia cœlorum astra

aſtra locum aſſignauit, ſed Veriùs quàm ex Tripode didici, quia ex ſacra: Qui erudiunt multos ad iuſtitiā, fulgebunt tanquā ſtellæ in perpetuas æternitates. Cercopes dum in informes ſimiarum mutantur formas, & comites Vlyſſis vt feræ gradiuntur; etiā Iudas catulus leonis accubuit ad prædā, Nephtalí ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis, & Nabuchodonoſor fœnum vt bos comedit. Et ne nouum videatur Daphnen in laurum pullulare, Athym creſcere in pinum, Cypariſſum in cypreſſum; Diuini inſtruit dogma Platonis, homo arbor inuerſa. Non ex Delphico Oraculo, quia verbo *Incarnati* Verbi prolatum anathema: omnis arbor quæ non facit fructum bonum exſcindetur & in ignem mittetur, quia & omnis homo. Et Diuinus benè vaticinatur vates: *Beatus* Vir erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. *Ita* profectò paradoxum cenſeri non debet, ſæpè naturam ſuis ſe legibus ſoluere, & interdum non parcè vti Viribus, vt ſe rerum diſpenſet incrementis decrementis diſpenſet. Et iam aſſurgenti in laudes voto meo *myſticæ* Oleæ noſtræ, ipſa naſcendi prærogatiua amplam ſuggerit materiem: non alibi quippè fæcundiores Olea figit terræ radices, niſi in aprico ad Fauonium ſole; vbi nec auſtrinis obnoxia æſtibus, nec arctois ſubiecta frigoribus, mediâ fouetur vtriusq; axis temperie. Felix Polonia dum in Polo hoc, quia in Campo Sarmatico infantem agit, Lucinæ datus, noſter Cantius ibidem vitæ vbi virtutis exorditur Spiritum, vt ex vtroq; quaſi Oliua ſpecioſa in campis in fæcundam cuiuſq; gratiam creſceret, adoleret. *Iam* non in Idumeæ oris, ſed in Poloniæ finibus Natalem Cognati & Vicini congratulabantur Nato, iam applaudebant *IOANNI* muliebri non tamen effeminata voce: O tenellum Cantium, blandidulum puellum quaſſatis rebus Polonorum cœlitùs datum! Boni Cœlites contingat hunc habere Matri, ſed Academiæ ſuperſtitem, per quem omnis fatorum crudelitas laſſata conſiſtat. Floreat reliqua in ſuo ſtatu turba, nihil de orbitate, nihil de conditione noſtra quereremur. Iam glorietur ſuo Perſia Cyro, in cuius robore fortitudinis & gloria decoris laurigeros numerat triumphos, magnum eſt. Glorietur ſuo Græcia Achille, eius quòd dexteritate immortalis ſibi creſcat felicitas, bonum eſt. Glorietur & Macedonia ſuo Philippide, cuius Oriens & Occidens meta, beatum eſt. longè magis beatam fore credidi Poloniam, cui dulcis & præſagus in gratioſo nomine venit Cantius, venit Gratia quia Ioannes. In aprico oleam naſci ſole, ſagax naturæ myſtes prodidit Plinius: Cantius. in abdito naſcitur ſolo, quia in angulo quia in Kętij: ibi morien di neceſſitatem ſimulq; viuendi facultatem ſubit, vbi ipſa loci horrida facies viuentibus mors eſt, quia inter Carpathios ipſū aëra tranſcendentes ſi non cælum pertingentes montium ſummitates. Ergo oberit hæc loci natalis anguſtia ut auguſtior excreſcat iam exorta Oliua? non oberit hæc naſcendi forma, proderit ſanè: quoduè plurimis ad maculam ferre fuerat naſci in angulo, ei ad gloriam. Latet in concha pretioſus vnio, ut ruptâ eâ prodeat in valorem: nube velatur ſplendidus cæli Phæbus, ut ſereniores auro rutilantes proijciat tandem radios: deligit inter pungentes ſpinas locum roſa, ut fragrantior redoleat: arbor ſolida non eſt nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa ſuâ vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit; fragiles ſunt quæ in aprica valle creuerunt. Etiam inter anguſtos ſalutatur Cantius montes, vt auguſtior in apricum prodeat ſolem: in rigidis eum enaſci expedierat oris, ut pulchriùs ex frigido effloreſceret Ioue. Naſcitur die Ioannis Baptiſtæ ei nec nomine

Locus Natiuitatis B. Ioannis Cantij

nec

nec gratiâ dissimilis, nisi quòd illius super montana, huius sub montanis vox natiuitatis diuulgatur: nisi quòd dextera Ioannis supra Caput Christi in flumine *Iordanis* fuerat, noster *Ioannes* supra Caput Christi in monte Caluariæ, quia in Cruce supra Caput Domini Oliua typus nostræ, meruit suscipere titulum Regis Nazaræorum. In sterili solo sterilem ne ageret Arborem Diuus noster, transplantari tandem oportuit Beatam hanc in ortu suo, beatiorem in fæcunditate Mysticam Oleam Cantium; ergo

Studiorum causâ venit Cracouiam

non Pierides alibi, quàm inter arbores in Parnaso, inde nec aliò tunc Musis, nunc toti Poloniæ in decus flectitur, quàm ad Parnassum Craci Iagellonicū, in quo melior surgeret *Apollo*; in submontano delitescere non debebat angulo qui ipsis Carpathijs iam tunc altior eminebat *Alpibus*. Crediderisses quisquis aduersæ mentis es, iam tunc Mineruam exultâsse *Academicam*, dum sacratam honori suo *Arborem* inter Academicas Laurus iam excreuisse vidit Oleam; vidit Pallas Academica suum *Apollinem*. Progredere D. Puer, materno suscipit Te sinu Academia literarum Discipulum mox habitura virtutum Magistrum; sed recollige opus quod moliris: graue est teneræ ceruici iugum, habet ubi se etiam in priuato lare explicet magnus animus, eò properas, ubi in hac tam insana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deteriùs recta torquentibus, parum tuta simplicitas est, & plus futurum semper est quod obstet quàm quod succedat. Sed nihil terret Diuum nostrum, pueriles supponit animosè lacertos, excolit & virtutis & literarum disciplinis maturè immaturam ætatem, quia altiùs præcepta descendunt quæ teneris imprimuntur animis, tenacissimiq; sumus eorum quæ rudibus percepimus annis, discit ab illa arte quam proscribit mundus præscribit cælum, beneficio rapacis ingenij quas pro tempore hausit iecit fundamenta omnium disciplinarum maxima indicans maiora pollicitus adhuc. *Iam* frustra sinui Olor Socratis insidens præcinit suauem Platona, quia triste ærumnarum finit; frustra in ore Pindari dulces examen apum deponit fauos, quia mox in absynthia degenerant, non præsagas sed veridicas egit Academia in suo *Ioanne* mentes; dum intueretur quàm tener Cantij animus, omnis vanæ cogitationis expers, operibus suis vacabat, & modò se leuioribus studijs oblectabat; modò ad considerandā suam vniuersiq; naturā veri auidus insurgebat, & pulcherrimo Diuinorum spectaculo recreatus, æternitatisq; suæ memor, in omne idquod erat, futurumq; est omnibus sæculis, tendebat. *Ita* diuturnum plus iustò examen subijt vt plus inueniretur habens, expectatione & existimatione inueniretur maior. Ergo Sacratum submitte verticem, venit dies de

Magister Artium & Philosophiæ renuntiatur Doctor

sponsationis quo redimiantur tempora, quo Diua coronetur Olea Lauru. *Ast* quæ rei congruentia dum Cantius *Artium* & Philosophiæ renuntiatur Doctor, Olea coronatur Lauru: siccine non suus Oliuæ decor nisi Lauru decoretur; siccine gratior cum Lauru Oliua quia sic iunctæ magis virent magisq; perennant? sic sic *A A*: vtinam sub Lauru quiescemus paciferā redimiti frontes Oleā beatos fore nemo hæsitaret Laurus pacis thronus, quietis domicilium, Victoriæ typus, lavrus pacifera; sed non absq; Oliua, quia eiusdem vti socia ita eorundem symbolum, vt iunctis apponere liceat *In his omnia*. Lauru coronatur Oliua coronatur Cantius pacificas sub virente immortalitatis lauro possidet sedes. *Et* iā ad fastigiū laureati honoris pertinuit, ne tam clarum futurum iubar sub modio absconderetur, neue is quem publicis obtutibus dignum propalauit virtus in angulo latitaret; fertili glebæ fæcundam inseri necessum erat Mysticam Oleam,

am. supponit alacres operosæ Professioni Academicæ humeros, dicit sibi legem laboris, sedulitatis, lectionis, scriptionisq; . En factus Præses Philosophicus subtilis in argumentando, in respondendo promptus, dexter in comprehendendo, in explicando ordinatus: in seria disceptantium crisi, in illo ingeniorum certamine, nihil in fronte gessit tumidum, nihil in oculis torvum, in vultu nihil procax; cùm illuderetur, non conuitiabatur, cùm iniurias pateretur, non comminabatur; ingens enim animus & verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit: utq; tela à duro resiliunt: & cum dolore cædentis solida feriuntur; ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit fragilior eo quod petit. Et licetsi tot punctus esset aculeis, tantaq; puteretur probra, non tamen passus est vnquam ut ulli noceret bonus, immò nunquam D. *Mystes* ad Vivificantis Hostiæ aras accedebat, ni priùs ostiacim dissertationis *Antagonistas* deprecaretur, ni semper rigidus rogationum dies obseruaret. Sed abstine D. Doctor, castigare enim irascentem, & vltrò obuiam ire ei, incitare est. *Errat* & qui amicum in atrio quærit in conuiuio probat. Sustinet Divus noster, quia etiam difficilis & indomita natura blandientem fert, & nihil asperum tætrumq; lentè palpanti est. Eructa cor, recognoscite ora, clamate in pariete lapides, eius sine numero numeros, eius toties geminatos geminos Versus:

Contubare caue non est placare suaue

Infamare caue, nam reuocare graue.

Ergo disce quisquis non suppositium (ni te ita palàm denominare iactites) Matris Academiæ agis filium, huius Professoris profiteris discipulum: desine hoc vnum cogitare quomodo bonis posses maximè nocere, quia quò melior est quisq; , hoc te sæpiùs ferre consueuit sine vllo delectu furentem & inter ipsa pseudo beneficia metuendum. *Iniqvus* es qui commune vitium singulis obijcis: quidquid enim in alio reprehenditur, id vnusquisq; in suo sinu inueniet. Sed disce à Diuo Doctore pacem, disce à Magistro concordiam, caue conturbare infamare caue; sed malè discunt AA qui nunquam didicerunt. Didicit Divus noster pacem colere, concordiam fouere, indicitur tamen bellum pacifico, quia Hostiam pacificam offerenti, sed ab eo volante qui serpens pridem cum nostris Protoplastis conflixit: gessit Divus bellum cum eo, sed bellum quia pacificum, prosternitur insolentia debacchantis Spiritûs, cadit volans hirundo, & qui in ligno pomi vincebat, victus est in Olea, mors ei in Olea vita alijs in Oleo, à Cantio triumphus astantibus, à Cantio Cacodæmoni ruina, ita plerumq; idem flos & api cibus & fuco venenum: etiam Mystica Oliua: fæcunditate suâ alijs medella, soli infernali fuco toxicum soli est venenum. O Pacifera Oliua Pacifer Doctor, Sanctissime, vtinam vt Columba Noë sic Aquila Sarmatica in Te glorietur. sis Olea, sis vita fiat pax in virtute Tua & abundantia de pinguedine meritorum Tuorum. Luxurianti in vberes succos, stillantiq; gratiosas guttas Oliuæ suppone egenas cibi palmas, non Irum, non Belisarium ages: nescit Oliua succum celare suum, vberes stillat latices, abundè irrigans egenorum inopiam, fontes Olei ex quibus venæ pinguedinis copioso manant alueo, aperit. Tvum est quidquid non Tvum dixi D. Doctor, Tvum tamen quia Oliuæ, si loquerer linguis egentium, loquerer illam beneficiorum exsuperantium in mendicos, quàm nisi prioris æui adæquaret Turonensis

Gesta & prodigia eius in vita

C

Mystes

Mystes aut Eleemosynarius Midas. Luna inter minores nitet luces, rigido sæuiente Aquilone, ipsâ Nascentis Verbi Incarnati nocte in Ecclesiam Nomini Matris Dei Magnæ Matris Annæ Sacratam, descendit DIVIS, frigore dum constringitur inter gelidas niues Pauper, exundat Oliua Mystica, & Euangelicum agens Samaritanum, in vulnera gementis Mendici, misericordiæ succum Olea stillat, vestem humeris detrahit, decumbentem tegit Lazarum. Sed quoquo sacrata Oliua? Oliua frigore sterilis fit, immo lex oliuantibus: Oleam ne stringito neue verberato, quid ne scindito. Tu vestem dum humeris detrahis; cortice Oleam spolias pedes: excalceatus, rigentis brumæ algores & immoderatas sæuientis cœli iniurias, non modò non propulsas, sed etiam aduerso corpore excipis. Ast benè est, rumpitur cortex ut nucleus prodeat, sudant balsama vberiùs dum scinduntur: D. Olea & tunc & multoties obviantem tegens palio Mendicum, cortice nudatur, ut cortinâ ruptâ erumpat non stillet in cunctos auxiliandi eis bonitas. Impositi silentij solue tandem legem misera, quid misera felicem Te ancilla, solutæ ollæ fragmenta dum deploras, opem Cantij imploras, accurrit taumaturga Oliua; ollam integram restituit, & ne lac effusum deesset, non deest Cantius, cui & Beatum esse & miseros beatos facere concatenatum est: ergo hauri aquam, imple non hydrias in Cana Galileæ Magni Dei opus, sed vas minutum, minimi Ioannis expertura factum. vbi adhuc non

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis

quia turbidus, quia Rudawa, vt candidum ad radices imperantis Oliuæ nactus colorem lac fieret in contuso vase. Venit & Pauper ad ostium Cantij, venit Christus ad Ioannis præcordia (ita enim Divus pauperem vocare sueuerat) vt eius famem leuaret, ipse dato cibo abstinet, frustum carnis Pauperi offert: quo & cælitùs reddito Beatus vescitur. O vos miserabiles quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! pretiosos autem non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit. Proclama toti orbi & tu infelix prædonum societas, & tibi indigno tibi perdito, dignum quo colatur quo per ora omnium celebretur, refert, testatur Cantius beneficium: incidit in sceleratas deprædantium manus, peculio ad supplementum viatici necessario spoliatur, & ni plura vltrò citròq; redderet, mortem nefarij minitantur: renuit Divus, Cælum testem aduçat, breui tandem recollectus, reperit numismata, insequitur scelestos, pedibus aduoluitur, reliquum offert, Deum opinati mendacij vindicem confessione mitigat: ita MysticaOliua furentibus audaciâ non suam denegat pinguefaciendi eos gratiam. O virum acerrimum & contra omnia naturæ desideria pugnantem, hoc Pauperiorem quam cæteri Cynici,quòd cùm sibi interdixerit habere, non interdixit dare - Iam Te iubeat Zeno sapientem fortuna esse, iubeat expeditiùs philosophari, quia bona Tua fecit submersa, parum est: dum noster Cantius etiam Stoicus rigidâ ac virili sapientiâ innutritus, iubet à se fortunam exulare: Tibi illa nō volenti bōa eripuit, ille petijt vt eriperet, Tua bona casu submersa, ille anhelus quærit vt prodat bona beneficia prodat. Equidem Oleum effusum Nomen Doctoris nostri ni Oleam veneremur. Non Hesperidum fabulas, non Adonidis responsa, ipsam loquor experientiam: dum Oliuam tantò præcociùs in altum festinare recordor, quantò crebrius ferventi alluitur, abluitur, perfunditur aquâ. Festinanter succrescens Oleæ nostræ surculus proceras excedit cedros, non styge cum Achille allutus, sed fer-

uenti

uenti Diuini amoris incenso inflammatus: magno animo se non vnius vrbis mœnibus claudit, sed in totius orbis theatrum erumpit, patriamq; sibi mundum profitetur, vt liceret latiorem Virtuti campum dare; contendit Romam, non vt Princeps vrbium theatrales Laureato Doctori instrueret applausus, sed quia multæ aquæ non poterant extingrere feruorem charitatis eius, quia fortis ut mors dilectio fervens purgatorij incendium superabat: capit iter non ad visenda antiquitatis rudera, sed ad visitanda Apostolorum limina: pedes procedit quasi illum ut Philosophum deambulatio concerneret: non permittit asinum (corpus suum vocans) in præsenti sagina iacere: quia mobilis & inquieta mens homini data est non ex terreno & graui concreta corpore, sed ex illo cœlesti Spiritu descendit; cœlestium autem natura semper in motu est, fugit, & velocissimo cursu agitur. Et quasi hæc parua essent Septicollem Vrbem quaternâ adire vice, quasi circumscribi vno loco non satis esset, petit definitivum vbi, ex Genere & Differentia petens definitionem: quocunq; nos mouemus duo nos sequuntur; natura communis & propria virtus: diuiniori afflatus Entheo pergit citato cursu ad ea loca in quibus Christus Saluator hominis amore saucius operatus est Salutem nostram: trucibus & inconditis Thraciæ populis audet se interponere, purpurata Christi sanguine inuisit Hierosolymæ vestigia, ad quorum aspectum ipse sanguinolentis genas lacrymis colorauit; utq; patienti Domino ad limina Academica ostiorum cui quotidie compatiebatur alrum & meditans & petens, tantò ardentiùs compateretur, Hierosolymæ vbi stetit radices feruoris iacit Oliua in Olıueto, sic cum Rege Regum hincq; cuncta illusionum loca inuisurus. Ita Divus virtute factus præcox factus maturus, quia non ignorauit, nihil turpiùs esse quàm grandis natu Senex, qui nullum aliud habet argumentum quo se probet, præter ætatem. Liceat mihi Sacræ Vrbis, vel inde in sua felicitate omni infelicitate infelicioris quòd supra eam fleuerit Dominus cum regrediente in Patriam Cantio linquere circuitum, non eius tamen linquere legem. Refert num intra num extra Magnæ Ciuitatis mœnia consultantes arbores non fatidicus Apollo at parabolicus Ionathan vt vngerent supra se Regem: respuit Coronam regendi ob suam dulcedinem ficus; reijcit Sceptra imperandi viris prærogatiuâ vini gaudens: Oliua assis ducit & Sceptrum & Coronam, recusat inter ligna promoueri, quia Dij & homines pinguedinem honorant in ea. Non procul à proprio stipite Oliua nostra descendit, & cùm compendiosissimam ad honores viam eorundem scilicet negligentiam sciret, ideo dum offertur Rectorale Cantio regimen, dum proponuntur Academici honores quos si non amare certè pati cogeretur; fugit honores, ita tamen ne illum fugientem sequerentur, proiecit cum Democrito & diuitias & honores onus illos bonæ mentis autumans; omnia tanquam mortalis timuit, ne omnia tanquam immortalis concupisceret: quia omne quidquid ad orientem ludentis mundi altiùs surgit, Vergit proniùs ad occasum, tantò cum grandiori sonitu, quantò optata honorum culmina magis pertingunt cum Babel cœlum, ut saltem arroganti Gigantum audaciâ minitentur superbiam vimq; cœlo. Vnum quod animarum saluti prodesse didicit, tactus Euangelij documento: talentum non in terram defodiendum, lucem non sub modio celandam, suscipit, dum ut doceret iniquos vias Domini, Ilcusiensis Pastor Ecclesiæ, Evangelij D. *Matthæi Interpres*, Produxit sui memoriam scriptorum monumento suorum, dignus vt vigeat cum maximis viris quorum se ingenijs

Romam quater Hierosolymamq; peregrinando adit.

 vel

vel contulit, vel si hoc verecunda mens eius recusat, applicuit; Sacræ Theologiæ Doctor ubiq; maximus meruit non videri, quia esse · Florentium ea gratia est ramorum, ut non oculorum tantùm pascentes audi tatem, etiam altioris spem gignant emolumenti; eousq; donec maturis non grauati siue fructibus siue excrementis in deteriùs iterum labantur; ut sic ex luxuriante magis eorum virtute magis propè immineat decorbandi eos decore canus autumnus, ita ex fici diductis foliorum caliculis rubens æstas propè fore non vano omine prædicatur, attestante textu Evangelij: ab arbore fici discite parabolam, cùm iam ramus tener fuerit & folia nata, scitis quia prope est æstas. Hactenus MysticaTerræ Cæliq; Oliua nostra floruit fronduitq; eos vitæ suæ emittens fructus, qui nisi Sanctum eum esse doceant, sanctos & deceant. Tulit Beata hæc Arbor non Sodomæ Gomorrhæq; poma tantò gratiosiùs ab extra nitentia, quantò ab intra magis inane quidpiam esse didicimus; fudit virtutis suæ Oleum, quia vnxit eam Deus Oleo lætitiæ, quia charismatis gratiæ spiritûs Sancti impinguauit; sed tantò iam cum omnium nostrûm densiori mœrore, quantò cum celebriori antehac applausu Virentem & crescentem vidimus. Vidimus hucusq; S Virtutis pullulantia folia, vberes donorum Spiritûs Sancti fructus, vt nunc maturos videamus. Vidimus inter Academicas Laurus Beatam Oliuam excreuisse, maturuisse, vt inter Cœlicolarum Laureolas adoremus. Non minùs prouida quàm solers rerum mater natura, cæteeras benefico pro varietate Regiones cùm ditauit partu, in hoc cum cœlo & salo liberaliùs conspirauit, vt tantò magis gaudere liceat Venusio Ausoniæ Oppido Olearum prærogatiuâ; tantò grandiori cothurno Oleum Balaninum Myrobolanum commendari deceat, tantò festiuiùs felici Arabiæ vel ex eo felicissimæ gloriari concessum; quantò liberiores ab Arctois frigoribus, & lacrymosis Orionis ab Vrnis earum delicatas lentiùs flammeo Titan radio intimas plantarum venas adurit. Laudent alij claram Rhodon aut Mitylenen; ea procertò Poloniæ debetur laudis portio, debetur commendatio, cui ad rigidas Septemtrionis plagas, sub climatis malignitate, & genuisse Mysticam Oleam Cantium & thaumaturgam copioso fructu educasse est concessum. At miseram in felicitate quia diutiùs perfrui non concessum!

Iam medium Cursu Phœbus finiuerat Orbem
Et propior nocti fessas quatiebat habenas
Obliquam flexo traducens tramite lucem,
Iam deformis hyems gratos carpebat honores
Diuitis autumni.

Moritur in peruigilio Natiuitatis Domini. Dum Cantius egit animam, Oliua nostra viuendi dum finem fecit. Siccine Polonia succisa Arbor Tua, præcisi rami, excussa foliâ! siccine funestus December in spiritu procellarum, in rigore brumæ occidit Oleam Cantium! Lachesis tempore quo:

Candida de niueo subtemine vellere sueuit
Felici moderanda manu.

Crudelis Atropos inuidâ præcidit stamina falce? Sic sic emori in Decembri expedierat D. Oleam, vt maturiores proferret fructus, vt germen radicum eius & grato pullularet vere & à frigoribus niuis non timeret. Moritur in peruigilo Natiuitatis Dominicæ: vt alter Præcursor Angelus, & in carne & extra carnē pacē cũ cœlesti Cantius choro hominibus occineret nuntiaret, pacem Olea proferret. Ergo iam excessit Pacifer Doctor noster

terminos

terminos mortalitatis intra quos seruitur. Excepit Oleam magna & æterna Pax, quia Paciferam: Pax illa quæ non paupertatis metu, non diuitiarum curâ, non inuidiâ felicitatis alienæ rumpitur, nec suæ premitur, non conuitijs ullis verecundæ aures verberantur: vbi nulla publica clades conspicitur, nulla priuata; non animus solicitus futuri pendet ex euentu semper in deteriora propendenti. Constitit tandem eo loci, vnde nil eum pellat vbi nil terreat. Tulit svum ----

--- *datiq; metas peruenit ad æui.*

Nascitur iam Cantius cœlo dum moritur terræ, nascente inter homines Deo: transfertur de mundi valle ad supernos æternæ felicitatis cœlestis Sion colles, æternum vt floreat, vt æternùm frondeat, sed vt Oliua Pacis. Minor mole suâ rerum gestarum belligeri Macedonis magnitudo, vel ex eo cedat hodie cum Neptuni cataphractis, quòd admirabilem in Olea pacifica Mineruam, an nostrum in Cantio Oleam natura cogit thavmaturgis quia pacificis operibus, excedere & credere, vt sic semper non minùs prodigiosũ quã multipotentẽ liceat Ioannem nosse, liceat admirari, non duodecim monstrorum cum Hercule domitorem, sed innumerabilium prodigiorum excitatorem: cuius arbitrio & merito tollunt grabata ægri, cedit corpore febris, insana sanatur phrænesis, dira vel nobis etiam Viuentibus videntibusq; (teste Cracouiâ) ad Annum Millesimum Sexcentesimum Octuagesimum sedatur pestis; tego Ilousium? non tego testem appello; rabiosâ pestiferæ Erinnijs lue intoxicata quondam D. Doctoris Paræcia, vix ad sacros Cineres votiuas appendere tabellas egit spiritum; en lurida Atropos D. Pastoris mandato fatale syrma non tam verecunda quàm victa contraxit: sic quæ alijs tumbam squalidi tumuli aperuerat, eadem Craci Portas salutis Vitæq; receptæ anathema ferentibus in solenni ad sacros Cineres Processione reserauerat; sic Cantium mortis prostratorem, Cantium Pacis Oleam hodie veneremur. Salubri sanè actum est de nobis Cœlitum Prouidentia, nec sine Diuino supremus Vrbis immò Orbis Pastor consilio gessit, Diui nostri obitûs diem de Decembri trãnsferens in Octobrem, an veriùs, Decembrem in Octobrem transmutans, vt in festis bellis sacratus Mensis, fieret sacer Oleæ Paciferæ, sacratus Gradiuo Martialis October, fieret dicatus Cantio Cantianus October. sic Mars Polonus semper bellicôsus, vt ageret gloriosè bellantem, Victoriosè in Octobri triumphantem, dum in Octobri Paciferum agit noster Cantius. Et ne pacatis tantùm ac molli delitescentibus otio miti Oleæ pace perfrui liceret, neue cum metis Poloniæ clauderentur magnalia Ioannis; etiam peregrinæ gentes memorandum stupent Virtutis eius prodigium. Fuit illud tempus quo immanis Orientis Draco è cubili suo prosilierat, quo præstantissimam Christianitatis portionem præcipvum Austriæ Corculum, Viennam inquam insatiabilis Regnorum Heluo deuorandam deuouerat; sed fuit & illud quo Magnus Regum Poloniæ, Rex Noster Serenissimus ad sacram Aram in viam belli euolans benedictiònem Cantij peteret: & sic equidem propitio Cœlo illuxit ille meridies, quo libertatis suæ Assertorem in Ioanne Ioannem, Columbam cum ramo Oliuæ, cum pignore pacis, victore Polono Exercitu Aquila Austriaca gratanter & excepit & salutauit. Ergo non in Bellonæ aut Iouis Statoris delubro, non in Apollinis cum Ænea parietibus, non ad Puluinaria fictæ Deitatis; sed si Genuæ quondam

Miracula post Mortem patrata.

Post partā victoriam ad Viennā Exercitus D. Patrono spolia appendit.

Victorum Hispanorum in templo appendebantur arma: in æde D. Annæ Sacra, ad Beatorum D. Tutelaris Cinerum Aras, memor pietatis Exercitus, ne immemor beneficij esset, Othomanorum spolia, trophæa, & quidquid triumphale censet, testes Victoriæ, testes pacis, dicat, consecrat Ioanni quia Oleæ Pacis.

Vtinam verò triumphales mihi de Te periodos loqui liceret D. Doctor, Academiæ Columen, Magne Parens Ioannes CANTI; foret, vtinam Partium & parium & mearum, vt quem infimus Oratorum linguâ genuq; palpitanti Oliuam Pacis à primis Tuis nitentis ætatis diebus in annos usq; meritis ac virtutibus graues, non condigno prædicaui Stylo, saltem adoraui. hunc toti non Polonorum, Polorum satiùs Orbi venerandum Paciferum Patronum commendarem. ast non eget Sanctitas Tua terrestri præconio, omni humanâ superior laude, omni eminentior honore: quæ cœlesti illi viginti quatuor Seniorum associata Senaculo, fecit Te Deo Tuo Regnum & Sacerdotem in circuitu Sedentis, in throno circumamictum vestimentis purpurascentibus Academicis, stolâ candidâ Theologiæ præcinctum, & in capite posuit coronam auream ut Laurea Academica foret celebrior: fecit dignum, accipere honorem & gloriam, dignum Magnum vocari, quia fecisti & docuisti. Ergo iam inter Cœlicolarum Cætus Triumphanti Tibi, non thure aut vino pecudumq; fibris parentamus. sed gemineis Nomini Tuo supplicamus votis: Poloniam Tuam, ceu suam Perseus Andromedam, non ex Nereidum odio; sed ex intumescentibus procellosi Orientis periculis: non ex ardente in vniuersum Troia, generosior Æneas Anchisen: sed ex bellorum incendio Patriam exportatam liberatam in statu tranquillo colloca. Serenissimum IOANNEM Tertium gratiâ Tuâ foue, hunc Principem lapsis Christianorum rebus datum, protege Mysta Beatissime: hærenti inter spem & metum, inter incudem & malleum, Christianitati succurre vel maximè IOANNES in Ioanne, ut quem Ioannem Tertium Leopoldus Cæsareâ prosecutus Maiestate, hic Te Ioannes Ioannem Regiâ, nos utrumq; vestrûm unà cum erumpente inter viuos posteritate æternâ veneremur & memoriâ & deuotione. Non patiaris tot Serenissimæ Maiestatis labores liuidas carpere obliuiones, vt Nomini Regio æterna à Te crescat gloria. Immanis Turcæ ingluuiem virtute Tuâ comprime, ne violentior per omnia debacchetur, non ampliùs audeat eas quoq; Regiones rapinæ causâ intrare in quas per Sacra aditur, & atram Laureatis Regnis cupressum inducere ne tentet. Almæ Academiæ Cracouiensis D. Parens Magnæ Matris virentes Laurus pinguedine meritorum Tuorum abundè irriga: quosvis frutices in perniciem eius pullulantes funditùs eradica: Lubranscianam Pinum benedictionis Tuæ rore copiosè inunda, ut vel in Maiori hac Polonia minimi Tui filij intra Phæbi cursum panegyrico ore semel Te veneremur, tutò in paucitate nostra sub protectione Tua in vmbra Gentilitiæ Pinûs à fulminanti impetu hærentes. Insuper hoc à Te votis precibusq; petimus publicis ex intima pectoris sede deuotum promentes argumentum: nulla Salus bello, ergo Te pacem poscimus omnes, quoniam Oliuam Pacis speciosam in Campis.

D I X I.